3

APOLOGIA PRO DOCTRINA SUA.

Adversus

CALUMNIATORES.

AUTHORE

THOMA ALBIO.

Feci Iudicium & Iustitiam, non tradas me calumniantibus me, Psal. 119.



LONDINI

Anno Salutis, M. DC. LXI.

Ad Tentatorem Stateræ,

INTRODUCTIO.

HActenus objecta dilui; &, pro brevitate meâ, rigido Adversarii jure, insultus tuos impugnavi. Tu tamen, qui *Stateram* mihi, candidâ (ut credo) mente explorâsti, —— *baccare frontem Cingito, ne vati noceat mala lingua* — Reâpse siquidem dignum Theologo nodum nexuisti. Obtorpuerat Schola in-

ſomnio quodam ex Allegoricis Sacrarum literarum & Sanctorum dictis efflorescente;quo, ſublatâ ſecretioris Providentiæ orditurâ, impluere crederetur ad nutum Deus Animabus adventitiam bonitatem, Naturâ quodammodo purè patiente. Hinc mira Chriſtianæ vitę ſubſultatio inducta eſt, nullâ cauſarum ſecundarum lege, trepidantis; &, leviſſimis motibus, nunc Angelorum

rum choris mox Inferorum gurgustiis sese inserentis. Exhorruerat eadem miris conflictata angustiis, dum impares conatus Beatitati cui creati sumus, nihil nos admoverunt, æternis angoribus & suppliciis ultra omnem finem modumque mersarent. Tandem à nostrum ipsorum, de retrusissimis & lucidissimà caligine secretis æternitatis momentis, phantasmatis & sublustribus coruscatio-

nibus vitæ mortiſque interminabilia fata appendebantur.

Hæc univerſa, brevi ſcripto collecta, *Stateræ* meæ oppoſuiſti, tanto illam oneri imparem arbitratus; Sed, niſi fallor, juſtam & fidelem ex reſponſo comperies. Adeò autem non exhorrui rationem doctrinæ meæ hâc in parte publico dare (quod ipſe mihi interminari viſus es) ut ultrò Scriptum meum pariter cum tuo commen-

mendandum prælo cu·
rârim; ſpero ſiquidem
te nihil in tuo immuta·
tum velle poſtquam
illud è manibus tuis
effugere permiſeris. U·
num moneo , nè tibi
perſuadeas me laudibus
quas in me aggeras hi-
lum de vero diſceſſu-
rum. Eas neq; agnoſco,
neque quicquam iis ce-
do; Animum tuum gra·
tum habeo; & nè tu &
Theologi tui, quos ad·
verſum me concitâſti ,
pergatis in Cenſuras eſſe
 nimis

nimis faciles , addo responso meo Apologeticam meam ad notæ Excellentiæ Virum Epistolam; ex qua discatis quibus ego nitar fundamentis, & quibus iis intendum sit, qui defectibilium & fallacium ventorum potestati fidem & salutem committere metuunt. Illic propriis meis vocibus signatum reperietis quod ex famâ forsan agnovistis Tu modò fæliciter vive & cresce.

Thomas Albius.



EPISTOLA APOLOGETICA.

Excell^me Domine,

1. FÆlix ſit ingreſſus tuus ad omnia quæ prudentiſſimè negotiaris, ſicut mihi fuit, cui hactenus pro me reſpondendi legitima occaſio non ſuppetiit. Rumoribus enim inter mulierculas, & rerum, & Theologiæ præſertim, ignaros, ad me gravandum ſparſis reſponſum inſtruere, jactura temporis viſa eſt. Cùm hoc

genus homines neque ſint le-
cturi neque ad ſententiam fe-
rendam idonei. Nunc, poſt-
quam eò prorupit æmulorum
mihi confidentia, ut in Ex-
cell[tiæ] tuæ aures calumnias
ſuas inferre ſint auſi, qui & de
reſponſione judicando ſatis
es, & cujus Authoritas apud
prudentes prævalitura eſt,
Non reſpondendi (ut ait Poeta)
gloria viſa levis. Propterea
ſummæ & exortis gratiæ æſti-
mo, quòd dignata ſit Excell[tia]
Tua mandare congreſſum, &
coram exponere quid adver-
ſum me propoſitum fuerit, &
humillimè ſupplico ut quæ in
defenſionem meam offero
pium & benignum aditum ad
ſereniſſimum judicium tuum
re-

reperiant; ut, si merear, innocens appaream; sin minùs, aperiantur mihi oculi ad videndum & corrigendum ea in quibus peccaverim. Utcumque evenerit, Excell[tiæ] Tuæ me obligatissimum & obæratissimum & agnosco & præstare sum conaturus.

2. Accusatur primo loco doctrina mea Hæreseos, neque apud vulgus Personæ meæ parcitur: Sed vetus dictum est, *si accusasse sufficiat nemo innocens erit*; scitum & illud, *accusato alteram aurem servandam esse*. Hæc precor ab iis qui de tantâ causâ pronunciare idonei sunt; Est enim suprema Theologiæ facultas dogmatibus Censuras figere, ad quas

tamen apud nos promptissimi sunt qui imperitissimi.

3. Repono itaque huic calumniæ, quòd, si ulla sententia quam propono adversetur alicui authoritati constanter in Ecclesia Catholicâ pro infallibili receptæ, huic me renunciare paratum esse. Quæ professio si virum Catholicum non præstet, nescio ego quid ultra desideretur. Ut apertiùs loquar, si de Sacrarum literarum testimoniis vel consensu Sanctorum agatur, nisi abundavero præ adversariis; si de Conciliorum aut Summorum Pontificum dictatis inquiratur, si quicquam disertè oppositum dictis meis afferatur ab iis decretum, causâ cadam:

Tandem

Tandem, si praxi Ecclesiæ quoquam dogmate obviam iverim, eodem jure succumbam. Vnum deprecor, ut, ubi Voces non me premunt, aliena Interpretatio non me gravet. Ignoro enim cur non cuilibet Theologo jus sit explicationis etiam adversus plures ejusdem disciplinæ socios.

4. Impetuosiùs occlamant Ecclesiasticam praxim, & certam victoriam sibi spondent; Ignari quot praxes Ecclesiasticæ in desuetudinem & oblivionem abierint. Ubi nunc in Baptismo Eucharistiæ administratio Infantibus præberi solitæ? ubi trina immersio? ubi solennitates octiduanæ in Pa-

ſchate & Pentecoſte tam venerandæ? Circa Euchariſtiam quanta mutata ſunt? Num Fideles manibus capiunt Sacram Hoſtiam? domi ſervant? in itineribus etiam maritimis ſecum deferunt? Num in publicis ſolennitatibus Laici utrâque donantur ſpecie? Canonum pœnitentialium ſolæ umbræ & veſtigia obſcura ſuperſunt. Oratio pro Sanctis defunctis intercidit: Decreta Apoſtolica de Sanguine & ſuffocato nuſquam obſervantur. Quanta mutatio in Epiſcoporum electionibus, & Judiciorum Eccleſiaſticorum ratione, in Vigiliis denique, ac Jejuniis? Hæc ſi ſatis perpenderent, non tantâ violentiâ

Ec-

Ecclesiasticam praxim tanquam fidei Argumentum venditarent. Sed hæc quid ad me qui nulli modernæ Praxi Ecclesiasticæ me oppono? Non enim quod omnes exercent statim Praxis Ecclesiasticæ vim obtinet. *Credunt* omnes Columbam inventorem novi orbis; num propterea ad *fidem Catholicam* pertinet? Sic neque quæ omnes *agunt* statim *praxeos Ecclesiæ* dignationem induunt, sed ea sola quæ ex institutione Ecclesiasticâ sic aguntur. Si in Jure Canonico, si in Ritualibus & Cæremonialibus fundata sit aliqua Praxis, ea *Ecclesiastica* est, non quæ ex Multitudinis fervore concrevit.

5. In

5. In noſtrà autem causâ nulla horum mentio injicitur. *Praxis* nomen *Conſuetudinem* & *Morem* ſonat : Mos & Conſuetudo Præcepti & Legis poteſtatem ſecum ferunt. Nemo tam abſurdus fuit ut neceſſitatem aliquam aut coactionem ulli praxi nobis objectæ affingeret. Tandem, quod cæteris oneroſiùs eſt, ipſi Eccleſiæ in os obloquuntur qui adverſus me differunt : *Privilegia* hæc eſſe profitetur Eccleſia; hoc eſt, præter conſuetudinem donata ; Summi Pontifices *Gratias* ſeſe concedere præ ſe ferunt cum ad hæc deſcendunt ; quæ impugnantes me Praxes & Conſuetudines eſſe vel urgent vel nihil di-

dicunt. Manifestè itaque opponunt sese Ecclesiæ, neque quicquam sanctum habent modo iræ suæ litent & satisfaciant.

6. Qui mitiùs in me insurgunt, ajunt doctrinam meam non esse Hæreticam, sed *Hæresi proximam.* Ab his peto ut quid sit esse *proximam Hæresi* declarent; neque famam meam vocibus, in speciem quidem gravibus, sed re ipsa nihil significantibus, vexent. Fateor enim me ignarum prorsus quid hæc Censura velit. Indivisibiles enim sunt Veritates pariter & Falsitates, non per modum Quantitatis plùs vel minùs appropinquantes. Imo supremæ veritates (si non omnes) proxi-

proximæ sunt falsitatibus eas hinc & inde obsidentibus. Veritas Mysterii supremi Sacrosanctæ Trinitatis nonne proximas habet hinc *Tritheitarum* inde *Sabellianorum* Hæreses? & Sacrosanctæ Incarnationis Fides *Eutychianorum* & *Nestorii* profanas blasphemias? Adde, quòd si esse *de fide* sit esse *revelatum*, esse *propinquum fidei* est esse *pænè revelatum*; &, esse *proximum Hæresi*, oppositam veritatem esse *pænè revelatum*; cujus dicti quis potest esse sensus? Horum itaque Censorum dicti sui explicationem postulo, antequam quicquam ei deferam.

7. Ulteriùs adjiciunt de

Phi.

Philoſophicis liberè diſputari, de Theologicis nequaquam. Replico miram eſſe horum objicientium oblivionem. Videruntne aliquem Theologum qui Theologica non diſputet ? Aliquam Academiam in qua quæſtiones Theologicæ non agitentur ? Aliáne eſt profeſſio ipſius Theologiæ Scholaſticæ, quàm ut à Patribus traditæ Fidei myſteria, Naturæ & principiorum Philoſophicorum robore adverſus Paganos & Hæreticos propugnent ? conformiter ad ea exponant ? & umbroſam Fidei certitudinem circumfuſæ Rationis lumine in ſolatium fidelium, quantum pote, illuſtrent ? Quomodo itaque non per-

permittitur uni mihi , quod cæteris omnibus non licet modò, ſed & pro ſummâ laude propoſitum eſt.

8. Sanè (inquiunt;) ſed inter receptas ſententias te continere debes, neque extra limites priorum Theologorum quicquam audendum. Audio , ſed effati rationem expecto. Credúntne *infallibiles* eſſe Theologorum diſſertationes ? Si non ſunt, ergo, quantum liquet , poſſunt in utraque litigantium parte latere errores : non enim ſicut Veritas unica eſt ſic errorum circa eam diſſidentium unica eſt ſpecies. Si itaque ex utrâque parte eſt Error, per legem horum Cenſorum non tollendus

dus eſt, neque diſcutienda nubes à Scholâ & tam inſigni Eccleſiæ portione. Non fuit certè hoc *Molinæ* propoſitum cum gloriaretur ſe primum *Scientiam mediam* adinveniſſe, quam ignoraverat *Auguſtinus* & præcedentium Theologorum tota cohors; quod tamen ipſius commentum quo ardore amplexa ſit ſequacium multitudo cum à Patribus S. *Dominici* Hæreſeos argueretur, tumultus Scholæ nondum ſopiti latere non permittunt.

9. Attamen ſaltem, ubi Scholæ tota moles in aliquam ſententiam propendet, certæ veritatis eam exiſtimare convenit, neque litem contra

eam

eam conteſtari. Verùm imprimis recurrit eadem ratiocinatio; quòd vel Infallibilis ſit hujuſmodi Authoritas, vel non ſit; ſi non ſit, ſententiam etiam omnium errorem in ſeſe tegere continget; & impium erit negare Eccleſiæ modum pro ſe ab Errore liberet. Si ſit in Infallibilitate fundatum eorum arbitrium, quæritur unde hoc conſtet? Aliâne quàm ipſorummet Authoritate? Si *aliâ*, producatur; ſi enim dicatur *ſuâ ipſorum*, vortice in circulum jactamur, aſſerentes hanc authoritatem ſibi teſtimonium præbere. Deinde, unde *Certitudo* aliqua huic multitudini inſidet? Certe enim extra *Fidem*

nullam

nullam agnoſcunt Philoſophantes niſi eam quæ ex *Demonſtratione* naſcitur, quam eos profiteri nondum intellexi; ſi quiſquam offerat, libentiſſimè agnoſcam. Præterea, Authoritatem Scholaſtici ultra rationem quam affert nil pollere receptum eſt. Si hoc de ſingulis ſtatutum eſt, unde multitudini plus attribui poteſt? Sed &, ſi ipſos Doctores intueamur, non ipſimet ſtatuunt *trium* gravium Theologorum judicia, probabilitatem dicto eorum conciliare? ſi tamen quicquam intelligo, tres ad tot centurias comparati, non efficiunt quin Univerſalitas ex adverſâ parte conſtet. Imò plures exiſtimant etiam

etiam *unum* aliquem qui nodum accuratè evoluerit, ſententiæ ſuæ adverſus Multitudinem Probabilis dogmatis virtutem inducere. Quid ergo peccavi ego, aut alius quiſpiam qui maturè inſpexerit difficultatem, ſi Rationis ſuæ monita adverſus Multitudinis nomen exaudierit? Quid quòd nomen *Vniverſitatis Doctorum* vanum eſt? Quis enim vel centeſimam partem eorum legit? Quis eorum qui non ſcripſerunt ſenſa novit? quorum tamen & numerus & authoritas longè gravior eſt quàm proſtantium librorum. Reipsâ itaque ſub nomine *Omnium* intelligitur *paucorum* in Academiis dominantium,

tium, ex magnâ ſegete manipulus.

10. Nondum quieſcunt, ſed & Imprudentiam objiciunt; hoc increpantes, quòd in regione à communione Eccleſiæ Catholicæ alienâ unum aut alterum libellum vulgaverim; inculcantes diſſidia Catholicorum à fidei Adverſariis improperari Orthodoxis. Et quamvis is ſim qui Prudentiæ laudem nuſquam mihi arrogem, vel labem oppoſiti vitii penitùs à me avertere laborem, tamen quanti interſit quod opponunt in hâc causâ non comprehendo. Videant enim libros Hæreticorum, utrum bella circa gratiam efficacem &

circa *Ianſenii* nomen quæ in Catholicis regionibus geruntur, non exprobrent? Si quid ſub prælum venerit, non hilum refert hìccine an in viciniâ Orthodoxâ vitam acceperit. Exemplo ſint Epiſtolæ Gallicæ, recenter non notæ duntaxat, ſed & vernaculâ donatæ. Sed, niſi me conjectura fallat, expedit in hâc regione ſupra cæteras hujuſmodi dogmatum publicatio: Hoc enim ad Heterodoxorum reductionem in capite requiritur, ut abſcindantur ſupervacuæ lites & nonniſi de neceſſariis belligeretur; hoc eſt, ut Doctorum ſententiæ, quæ incertæ & timidæ ſunt, pro traditâ à Chriſto

&

& Apostolis Fide non propugnentur. Rursus, pollentiora ingenia, & quæ potestatem in hebetiores occupaverunt, si quid credi percipiunt quasi crudo imperio, & de quo neque Ratio de rei veritate vel credulitatis necessitate reddi possit, irrident & summopere aversantur. His itaque præbendum est, quantum fieri potest, lac Rationis, seu conformitas Dictatorum Fidei cum inferioribus disciplinis; quam demonstrare totius laboris mei scopus est.

11. Tandem certamina quæ sine his regulis ineuntur ancipitia esse, & magis ex depugnantium sive acumine sive solertiâ & non rarò ex casu

pendere, vel etiam ad interminabiles de vocibus lites devolvi, experimur. Hæc non eo propoſito deduxi ut negem in Catholicis partibus vel utilia vel non accepta eſſe quæ ſcripſi; Nam etiam ex iis applauſus non infrequens uſque ad me reſultavit. Pro Coronide addo, Neceſſe mihi fuiſſe vulgare ubi commorabar, & ubi poteram expenſis par eſſe, neque enim delectus mihi ſuppetebat.

12. Sequitur de *Tempore* inſultus; ſcilicet non oportuiſſe nunc cum fervent in Eccleſiâ noſtrâ aliæ diſſenſiones, novas addi. Regero, gratum futurum fuiſſe & grave hoc argumentum ſi cæteris diſſenſionibus

ſionibus metas fixiſſent; ſed, ex quo tentatum eſt à *Ieſuitis* in Caſtro *Wisbechi* arripi Imperium in Clerum, non de. fuerunt ab iis fota & nutrita Eccleſiæ noſtræ mala. Neque eorum terminus ullis noſtris conjecturis proſpici poteſt. Vel non omninò itaque propalari hæc doctrina debuit, vel non expectanda fuit alia rerum facies.

13. Incuſor quoque, (ut novis etiam adverſus nupera ſcripta mea calumniis occurram) tanquam Authoritati atque ipſi Perſonæ Pontificiæ injurius, dum illam imminuere, hanc contemnere, libris meis recentioribus auſim. Ajo itaque, quòd ſi oſtendi poſſit

me de Authoritate Summi Pontificis, quatenùs Fide receptâ & à Sancto Petro hereditatâ (pro quâ mortem me libentissimè oppetiturum profiteor) quicquam scripsisse quod eam elevet vel deprimat, imo quòd eandem non firmet magis atque amplificet; non quidem per fictam Extensionem ipsius ad actus quoslibet particulares, quod revera eam vilem facit, & Sacram ac pænè Divinam Officii illius universalitatem restringit potiùs ac coarctat, & individualitatis ac materiei fœce indignissimè immergit; dumque interim solâ probabilitate innititur, & tamen ab adulatoribus (qui nihil in hâc re

re diſtingui patiuntur) cum ſolidâ illâ ſacrâque confunditur, illam quoque in ambiguitatem falſitatiſque diſcrimen apud non intelligentes inducit; Sed, per verè Extenſivam ad univerſaliſſimas Eccleſiæ actiones (dignum tam excelſiſſimo munere objectum) vim; quæ in Supremâ Majeſtatis ſphærâ & Poteſtatis amplitudine eam collocat ſuſpendet ac ſuſtinet; & per Intenſivam (divinitùs nempe datam ac firmiſſimis Fidei & Scientiæ Politices argumentis ſtabilitam) mandandi virtutem, unde fit ut eidem in minimo non obſequi, perniciosiſſimum imò damnabiliſſimum foret.

14. Præterea, si convinci possit me contra ejusdem Sanctæ Sedis Authoritatem quatenùs ex Conciliorum Generalium Concessione & Ecclesiæ Consuetudine consensuque pendet, quicquam in Scriptis meis molitum; id nonscriptum me velle profiteor, & palmam Adversariis cessurum.

15. Porrò, si, quoad cætera, vel non necessariò dicenda, vel non eo tempore ac Methodo quibus decuit; vel irreverenter omninò, vel, si dictorum sensus attendatur (de stylo enim litem non movebo) ad speciem irreverentiùs quàm res postulârit, imò quàm in pari occasione

locuti

locuti ſunt alii, etiam Sanɛti,& ſpeciatim S. *Bernardus*, (*l*. 3° *ad Eug*. *c*. 1° & 2°)locutum eſſe coarguar; culpam humillimè agnoſcam, & veniam deprecabor.

16. Hoc interim poſtulo (quod nemo ſanus unquam denegavit) ut conveniat inter nos, poſſe labes in regimine vel in Supremam Curiam Sacraſque perſonas cadere; poſſe etiam ab adulantibus adeò extendi Pontificiam Poteſtatem ut neque Regibus neque cæteris Epiſcopis ſua jura relinquat, imò utrorumque legitimam & à Deo conſtitutam Poteſtatem funditùs evertat: poſſe quoque, imo debere eum cui intima diɛtat

con-

conſcientia ſe hoc videre, & ſpem habeat aliqualiter tam ingentia mala detegendi, atque ita ab Eccleſiâ depellendi, id pro virili quibus queat modis conari; poſſe denique contingere (quod etiam res eſt) quamplurimos viros cordatos & graves hoc idem dictum cupere & gaudere, dicturoſque etiam ipſos niſi ſibi timerent. Hæc, uti conceſſu non ſunt difficilia, ita, facile concedam ipſe quoque me (hominem utpote fragilem) poſſe labi atque errare: Sicut autem (Veritatem ipſam teſtor) me ſolam veritatem ſectari neque noto errori adhærere mihi conſcius ſum; ita nihil prius aveo, quàm ut

Theo-

Theologi errores meos mihi ostendant; spondens me ad ostensos corrigendos, vel etiam retractandos, promptissimum interea adservare animum.

17. Ultimum quo me impetunt telum est, hunc fuisse omnium Hæreticorum propagandi errores suos morem. Sed, in quo specialiter hic mos versetur, quatenus Theologorum consuetudini oppositus est, non evolvunt. Leve itaque est asserere quod utrisque commune est vitiosum esse quia Hæreticorũ est. Sed & veri inane est quod de me dictitant. Quis enim Hæreticorum Cyclopædiam Philosophiæ & Theologiæ priùs scripsit, quà sese

ſeſe cancellis certis inſcriberet, & ſenſum ſuum de cunctis Fidei partibus ſimul manifeſtaret ? Non eſt hujuſmodi Hæresûm origo; ſed uni alicui articulo dentem primò imprimunt, deinde ad alios violandos neceſſitate ſeſe defendendi coguntur. Rurſus, Hæretici quærunt quæ vulgo & indoctis probata ſunt, facillima ſectantur, Cathedras pro Scholis habent, Mulierculas & Laicos conſtituunt Eccleſiaſticorum dogmatum Judices. Hi mores ad me an Adverſarios pertineant, qui rerum apud nos geſtarum periti ſunt Judices ſunto.

18. Hæc ad Excell^iam Tuam breviter ſcripſiſſe ad criminationum

tionum adversus me dilutionem fas fore spero; Naturâ imperante & Jure ut bonus appareat quilibet, donec oppositum probatum fuerit. Evertant itaque æmuli mei hanc Apologiam, vel apud tantæ Prudentiæ & Justitiæ virum sileant.

Excell^mæ^ D^nis^ V^æ^

Servus Humillimus

THOMAS ALBIUS.

E R R A T A.

In *Præf.* p.12. *l.* 1. si priùs. p. 13. *l.* 5. Eximiis Dominis. *l.* 18. fultum. p.18. *l.* 5. contra ipsum.

In *Staterâ Appensâ.* p.3. *l.* 9. synderesi. p.41. *l.* 16. actionum. *l.* 17. exercitio. p.43. *l.* 15. initiati. p.46. *l.* 3. nomine Hæreticam. p.50. *l.* 17. huic. p.51. *l.* 14. erit: .

In *Stateræ Æquil.* p.18. *l.* 27. conformes; p. 19. *l.* 4. sonet. p.32. l.9. reditur. p. 35. *l.* penult. ostendatur. p.39. *l.* 23. tremendi. p. 64. l. 1. piæ bis vel ter intra.

